

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4397

Auteur(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1294, 12 novembre

Lieu d'émission : Pontoise

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe (III), roi de France, vidime et confirme en faveur de l'abbaye de Montmorel la charte du clerc Laurent dit Hérout et le bailli Nicolas de Villiers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° XXII, p. 22-23.

Texte établi d'après a

Philippus, Dei gracia Francorum rex, notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos vidimus litteras infra scriptas formam que sequitur continentes.

Universis presentes litteras inspecturis Laurencius dictus Herout, clericus, et Nicolaus de Villers, ballivus Constanciensis, deputati ab illustrissimo principe domino Philippo, Dei gracia rege Francorum, super acquisitis factis ab ecclesiis, domibus religiosis, universitatibus et ignobilibus personis in ballivia Constanciensi salutem in Domino. Notum facimus quod viri religiosi abbas et conventus de Monte Morelli nobiscum, nomine suo et monasterii sui, finarunt super retinendis, habendis et in posterum possidendis ab eis et eorum successoribus, sine coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, rebus inferius annotatis, acquisitis ab eis in feodis et retrofeodis domini Regis : videlicet apud Sanctum Albinum de Terra Gasta, ex dono Agnetis, quondam uxoris Gervasii de Buat, militis, octava parte molendini de Orelart et dimidio quarterio frumenti cum Stephano de Valle ; ex dono Johannis Dastinel quinque solidos Turonensium apud Eschariz ; ex dono Roberti Grimaut, militis, tredecim solidos Turonensium apud La Manseliere ; ex empto triginta perticis terre apud Poillie ; ex dono Guillelmi Cheval tribus solidis ; ex dono Johanne Buat decem solidos Turonensium quos dicti religiosi reddebant annuatim pro quodam prato ; item duabus virgis terre, ex dono, sitis in dicta parrochia ; item ibidem una acra et dimidia terre, ex dono cujusdam laici in domo sua recepti ; ex dono Guillelmi de Ulmo deffuncti, duodecim solidis Turonensium ; item apud Jugleyum, ex dono Thome de Pruis, quatuordecim ruschis frumenti ; apud Ceaux, ex dono Stephani Diseignie et uxoris sue, decem solidis Turonensium ; apud Courtiz, ex dono Johanne La Boucharde, viginti et octo denariis et quoddam meteent salis ; apud Sanctum Quintinum, ex dono Guillelmi de Verdun, militis, decem solidos Turonensium ; item apud Sanctum Albinum de Terra Gasta, ex dono Radulfi de Valle, sex virgatis terre ; apud La Manseliere, ex empto, in stagno prioratus ejusdem loci, tribus perticis terre ; item una pecia terre in feodo as Peses et uno prato in eodem feodo ; item ex dono Roberti Grimaut, per illos de Mesnil Osanne, undecim solidis Turonensium ; apud Monmartin, ex venditione Guillelmi Bacon et Dyonisie uxoris et filiorum eorumdem,

triginta duobus solidis Turonensium ; estimatis hiis omnibus ad valorem quatuordecim librarum Turonensium annui redditus pro sexaginta quinque libris Turonensium. In cujus rei testimonium nos dictam financiam, nomine dicti domini regis recipientes, presentibus litteris sigilla nostra duximus apponenda, salvo in aliis jure domini regis et jure in omnibus alieno. Datum anno Domini M CC nonagesimo tercio die mercurii post Resurrectionem Domini. Nos vero financiam predictam ratam et gratam habentes, laudantes et tenore presencium approbantes, volumus et concedimus quod dicti religiosi omnia supradicta, cum suis juribus et pertinenciis, perpetuo teneant, habeant, possideant et explectent pacifice et quiete, absque coactione vendendi vel extra manum suam ponendi, salvo tamen in omnibus jure nostro et jure quolibet alieno. Quod ut firmum et stabile permaneat in futurum, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum apud abbaciam Beate Marie juxta Pontisaram, in crastino beati Martini hyemalis, anno Domini M CC nonagesimo quarto.